



Rep. B. IX. 8. Mandatum Electorale.

In nomine nro lieft in Druck außgegangen
ctät hin kühn dem titel: Amica admoniti
cione: wird für gegeben, als ob im
Bnaden Lande die meisten theologi ein
Meinung sein würden, wenn sie gegen
ten für fand bekennen und lesen the
nos für. Bnaden aber gleichwohl das
das sie vor publicierung der Apologie verstan
wie ob für ein beraudend besagten mit
quädigstem besoff, alle und redere diese läßt.
für für stant für pastores und Diacom wollen
genügend lesen und prüffet lesen beruht, innselb
Monatsfrist vom 30. May an, von der Decision der
hier für nicht fragen, ein prüfen, was ein jeder für
beurtheil und ein vanden dar wieder gibt. p

F 4 21 b
9

IX. VIII. 19.

A. III. 24.

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26



DISPUTATIO
De
SOMNO

Quam

Affulgente Supremo Lumine & Numine

In Celeberrima Leucorea

Præside

Dn. M. ABRAHAMO HEI-
NECCIO VVittebergensi, Facult:
Philosophicæ Adjuncto
*Liberalis exercitiû causâ
proponit*

GODOFREDUS LEHNER VVel-
sensis Austrius.

Ad diem 30. Januarii.

WITTEBERGAE

Typis Hæredum Johan. Richter. Anno 1621.

Fortunante DEO.

Prooemium.

In intellectu noster lapsu primævorum nostrorum ita est depravatus, ut in rebus etiam notissimis sese, ut noctua ad lumen meridiei habeat, in exiguis lippiat, in mediocribus cacutiat, in gravioribus omninò in furorem abeat. Quid notius, quid usitatius somno? Quàm plurimi potissimum vitæ tempus somno dant, quid somnus autem sit, planè ignorant. Ut igitur ab hac ignorantia injuria nos ex parte saltem vindicemus, somni naturam paulò diligentius investigare placuit.

THESIS

1. Omnis virtus naturalis, cùm agendo patiat, determinatum durationis & operationis tempus habet.
2. Cùm igitur sensuum operatio talis sit virtus, perpetuò durare non poterit, sed, quò vires amissas reparare possit, quietem requiret, quæ somnus dicitur.
3. De Naturâ autem somni tot propè sunt opiniones, potissimum apud veteres, quot auctores.
4. Galenus dubitandum censuit an opus sit naturæ, an affectus præter naturam.
5. Alcmeon per sanguinis in venas reditum; Empedolces per insiti in sanguine caloris refrigerationem; Plato per spirituum sensui famulantium in partes cerebri anteriores relaxationem somnum fieri voluit.

A 2

6. Et

6. Et quis omnes eas? Alii tamen propius ad veritatem accesserunt, alii longius recesserunt.

7. Quo felicius autem rem assequi possimus, somni vocabulum bifariam accipimus.

8. Aut enim pro naturali privatione sensus & motus usurpatur, quâ ratione somnus imago & frater mortis dicitur: Aut pro ipsa causa somnum efficiente sensusq; ligante.

9. Somnum nunc, tanquam effectum, considerabimus, ut effectum cognito paulatim causâ cognitionem assequi possimus.

10. Est igitur Somnus cessatio naturalis *πεῶς αὐθιγίας*, & ita consequenter sensuum exteriorum, in salutem animalium facta.

11. Vocabulum naturalis excludit cessationem sensuum, quæ in Apoplexia contingit: Item Coma, Lethargum: Licet enim hi affectus convenientiam cum somno habere videantur, cum tamen præter naturam accidant, hinc considerationem non merentur.

12. Ut subjectum somni innotescat, notandum, in quovis subjecto duo considerari, Cui & Quo: seu Cui primò tribuatur, & quò respectu, seu quam ob partem ei tribuatur.

13. Sunt enim quædam partes, quæ affectæ totum simul in consensum trahunt, ut in Epilepsia & febribus apparet.

14. Subjectum Cui est animal seu corpus animatum.

15. Cujus enim est sentire, ejusdem & dormire & vigilare; Sentire verò est corporis animati.

16. Suadet hoc necessitas in omnibus animalibus, quia, ut inquit Tarareus in lib. de somno & vig: *potentia sensitiva quandoq; sic defatigatur in suis operationibus, ut indigeat calido influente à corde, ideo oportet illam quiescere, ut à corde restaurationem accipiat.*

17. Diximus in definitione, quòd somnus sit cessatio primi sensus, quo cessante etiam exteriores quiescunt.

18. Impediri autem ille ab actione sua non potest, nisi sedes ejus mutationem subeat, quàm Cerebro tribuimus.

19. Consideratur autem cerebrum, vel ut totum, vel in certos ventriculos distributum.

20. Totum esse non potest, ratio est, quod functiones phantasiae & memoriae, quae idem cum sensu primo domicilium habent, in somno non pereant, nec impediuntur.

21. *Hi enim sensus, ut habet Excell. Dn. Sennert. in Phys. f. 248. non necessario in somno quiescunt, sed si id contingat, ideo fit, quia externi quiescunt. Nam si phantasia in somno interdum non operatur, non ideo fit, quod ejus effectio somnus sit, sed quia à sensibus externis nihil ad illam defertur, circa quod versari possit.*

22. Subjectum ergo Quo erunt anteriores Cerebri ventriculi, quibus clausis repente animal sopitur, ipsam cerebri substantiam salvam manentem.

23. Rationes reddit Erastus in Disp. de somno, quod sensus, qui circa partem cerebri anteriorem sunt, magis occupentur. Tactus autem levius laeditur, quia per nervos motui servientes distribuitur, qui in posteriore parte capitis magis oriuntur.

2. Pharmaca à Medicis magis sincipiti in affectibus soporosis adhibentur, quia illa pars maximè laesa judicatur.

24. Certum autem est, spirituum dispositionem in somno contrariam esse ei, quae in vigilando deprehenditur.

25. Dispositio illa à Causa somni dependet.

26. Ea duplex: Proxima & Remota.

27. Proxima est caloris revocatio. Cum enim vigiliae sequantur motum caloris ac spirituum ad sensorium, ideo somnus per eorundem revocationem fiet. Oppositorum enim sunt oppositae causae.

28. Remota est exhalatio è ventriculo ab alimentis. Illa enim à cerebro condensata, crassiorque facta obstructionem nervorum parit, quae efficit, ut calor ob denegatum ad organa sensuum transitum ad interiora se recipiat.

29. Finis somni, si moderatus sit, est animalis salus, quae in virium restauratione consistit.

30. Inde Tertull. inquit: *Somnus est recreator corporum, vel redintegrator virium, probator valetudinum, pacator operum, Medicus laborum, cui legitime fruendo dies cedit, nox legem facit, auferens rerum colorem.*

A. 3.

31. Finem

31. Finem alium addit Subtilitatis magister Scaliger, Exer. 289. animæ sc. libertatem.

32. Ita enim Exer. 289. inquit: *Somnum à DEO factum, non solum, quod quidem rectè ajunt, ad corporis recreationem, sed etiam ad animæ libertatem. Qui enim, si ad officia spectes, prope modum plantæ vitam vivamus dormientes, voluit, ut tum rectè viveremus. Nam servus eo tempore liber est; atq; etiam dominus evadit aliquando, per insomnia. Præavorum animi supplicia afficiuntur per insomnia. Bonorum atq; sapientum, veritatis investigatione, laudabilium officiorum functione, divinæ mentes fiunt per insomnia. Solutæ namq; non à corpore, sed à corporis penso suas agunt res. Seipsas enim movent, atq; etiam promovent ad effigiem sui finis, quæ sunt olim contemplaturæ. Movere autem seipsam animam non solum agitatione ad intelligendum, sed etiam, ut loquuntur physicè, quod istorum pleriq; ignorârunt, suo loco dictum est.*

QUÆSTIONES.

Cur de nocte suavius, quàm de die dormiamus?

Major noctu fit concursus causarum somnum promoventium. Noctis enim frigiditas & tenebræ magnam ad conciliandum somnum vim habent. Accedit consuetudo, quæ altera est natura. Juvat silentium, cujus contrarium, diuturni sc. strepitus efficiunt, ut somni sint insalubriores; sunt enim breves & imperfecti, & ita cruditates, pandiculationes, tumores, corporis gravitatem &c. inducunt. Potissimum verò locum obtinet ordo ac dispositio divina, quæ voluit, ut homines per diem opera vocationis suæ perficerent, noctu verò membra vigiliis & laboribus defatigata quieti darent, viresq; amissas repararent.

Cur primus in nocte somnus omnium sit profundissimus?

In hac quæstione non diu immorabimur, ne furibus
animum

4

animum dare videamur, si, quod ab experiētiā habent, etiam rationibus firmari percipiant. Sub initium enim noctis furari malunt, quā ullō alio tempore, cū homines somno primo merſi eos observare non possint. Nostrum autem hoc esto. A diuturnis vigiliis & operationibus spiritus valdè debilitati, ac magna ex parte dissoluti non ita citò ad perfectiōnem redeunt, indeque altior ab initio somnus. 2. Majori copiā vapores à cibo nuper assumpto ascendunt, spiritus animales magis cogunt, Somnumque profundiorē reddunt. Vaporibus autem absumtis, viribusque paulatim redeuntibus, somnus ad imperfectiōnem inclinat.

Quomodo dormientes noctu surgere & ambulare possint?

Nonnullos homines inter dormiendum ambulare, ac quædam vigilantium opera perficere, non autoritas solūm Classicorum Autorum, sed ipsa experiētia evincit. In causa est somnus turbatus & imperfectus, in quo sensibus nonnullis, cū non ad modum sint ligati, tales ambulatores uti possunt. 2. Phantasiæ in somno operatio, quæ hominem ob monstratum aliquod bonum ad ambulandum invitat. 3. Vis locomotiva quæ in somno vix impeditur. Inthesibus enim dictum, anteriores cerebri ventriculos in somno affici; motui autem servientes spiritus magis in posterioribus contineri.

Cur Noctambulones proprio nomine vocati cadant & periclitentur?

Cū noctambulones à somno excitantur, periculi magnitudinem agnoscunt: Inde formidare incipiunt, ex consternatione spiritus dissipantur, quibus discussis facultas debilitatur, & demum nullis nixi fulcris concidunt. Citius autem nomine eo, quod in Baptismate acceperunt, vocati excitantur, quā ullo alio: Illud enim ceu notissimum citius ad mentem pene-

penetrat. Sacro verò Baptismo hoc non est adscribendum, quia ut habet Keckerm. in Turcia noctambulones excitantur, licet eo initiati non fuerant.

Quid de Incubo statuendum sit?

Vulgata de incubo opinio originem habere videtur ex illo loco Platonis in Timæo, ut habet Valles. in sacra Philof. f. 29. ubi statuitur, fuisse mulieres, quæ sub hominum specie familiarissimè utebantur dæmonibus, qui cum illis rem habebant, frequenterque, ut cum propriis uxoribus congregiebantur; Viros quoque, quibus fœminea specie succumbebant Dæmones: Et hanc ob causam tales dæmones alii quidem incubi, alii succubi dicebantur. Isthæc opinio nostra etiam ætate retinetur, esse sc. tales nonnullos spiritus, qui amore hominum incensi eos nocte dormientes accedant, & ex singulari affectu ita comprimant, ut ne verbulum dicere possint. Quæ autem, verba sunt, Valles. d. l. dæmones amare poterunt mulierum pulchritudinem, & cum iis congregi? An est illis ea natura, ut tanquam homines possint mulieribus potiri, & formosis delectari magis, quàm deformibus? Aliena quidem videntur esse hæc omnia à spirituali & incorporea substantiâ, & Naturâ ita dissidente. Nos igitur, servato nomine, Incubum inter depravatas principis facultatis functiones numeramus, in qua loquela & respiratio impediatur. Fit à crasso vapore, sursum ascendente, posteriores cerebri ventriculos implente, spirituumque ad nervos penetrationem impediente, cujus ratione ad instrumenta respirationis, quæ in somno non quiescunt, quia spiritus libere non descendit, ipsa respiratio impeditur, motusque difficultas succedit. Duncan. in arte Med. f. 271. Inde phantasia effingit, dormientem quasi à superincumbente quopiam ita comprimi, ut suffocari videatur, exclamare nequeat, sed confusam vocem edat.

Cur

5

*Cur post somnum Cibus magis gratus
quàm potus?*

Notum, in somno à vapore & halitibus irrigatas omnes corporis partes; Notum etiam, sitim esse desiderium humidi alimenti ex arefactione potissimum ventriculi. Scit igitur Natura, contraria contrariis pellenda, similia similibus servanda. Indeque, removendæ superflue humiditatis causâ, magis siccum expetit, quàm humidum.

An in somno Concoctio perfectior?

Dictum à nobis est, somnum esse revocationem caloris ad interiora: Beneficio autem caloris concoctio perficitur: Sequitur ergò exinde, eò tempore meliorem fieri concoctionem, in quo calor est intensior, quod in somno accidere solet.

Quid studiosis in somno observandum?

Ordinem naturæ invertunt, maximeque delinquent literis incumbentes, si post cœnam diu vigilant, & contra post ortum solem dormiunt. Sole enim ad hemisphœrium nostrum redeunte, vel super eo versante corporis meatus ejus radiis aperiuntur, humoresque & Spiritus ad circumferentiam evocantur, & ita ad vigilandum homo invitatur. Recedente verò, meatus obstruuntur, Spiritus & humores ad interiora revocantur, & ita ad quietem. Concoctionem etiam valdè lædunt: Nam ab aere diurno & calidiore, vigiliis & laboribus Spiritus dissipati sunt, ut nova eorum generatio & restauratio requiratur, quam, qui in multam noctem vigilant, impediunt, præcipuè si literis incumbant, adeò, ut neque meditationi, neque concoctioni ventriculi sufficere possint, sed caput solùm vaporibus replent, & spiritus à concoctione avocant, unde cruditates multæ generantur. Excell. D. Senert: de diœta Mediæ ætatis.

B

Cur

*Cur Gallus stato noctis tempore
canat?*

Jocosè nonnulli hujus cantus causam reddunt ex lepida illa Luciani fabula, quæ ita sonat: Fuit quandoque Alectryon juvenis, hoc est, Gallus nomine, hîc Marti usque adeo familiaris est factus, ut subindè cum eo commessaretur, foretq; amorum ipsius conscius. Sic ubi ad Venerem itaret Mars, aderat comes Alectryon. Quia verò suspectum præcipuè habebat Solem, ne rem conspicatus Vulcano renunciaret, præ foribus excubare adolescentem jubebat, significaturum, ubi comparuisset Sol. Fortè ita evenit, ut excubias proderet consopitus adolescens, fieretq; speculatio cæca, ut superveniente clam Sole, Mars Venusq; complexi deprehenderentur, in utramq;, quod dicitur, aurem Alectryonis fiducia decubantes. Factus verò certior Vulcanus catenis pertenuibus utrumq; mox illaqueat, obretitq;, quas ad eum usum diu antea erat comolitus. Sed emissus denique ex vinculis ejusmodi Mars, in Alectryonem prorsus fit commotior, nec prius ira deferbuit, quam in ejus nominis avem deformarit malefidum custodem: Atque ita, ut crista videretur celsus, sicuti cum hominem ageret, Galeam gestaret. Verùm ex antiqui admissi memoria, ut se DEO expurgent, illatiq; damni formulâ satisfaciant, hæc aves morem perpetuò servare, diu ante ut præcinant, ubi mox oriturum præsenferint Solem, ne lux obrepat incautis. Missis autem jocos placet ad hanc quæstionem responsio Coll. Connimbr. c. 8. de somn. & vig. Ut singulis animantium speciebus conveniè peculiaris inclinatio respectu proprii temperamenti: Ita Galinaceo ex vj nativi temperamenti competit, ut & ordinariè circa mediam noctem solvantur sensus, eodemq; tempore à proprio phantasiæ instinctu imperatur cantus, & alarum plausus.

F I N I S.




6
Humanis. Dn. Respondenti.

VT Somni ratio semper, non copia, prodest:
Nam, vires isthac recreat, ipsa ferit.
Sic Studiis LEHNERE Tuis moderatio surgat:
Tunc vis ingenii cuncta q̄, membra vigent.

Commensali & amico
suo l. m. f.

M. Valentinus Bruning
Zittâ-Lusatius.



28

Comm. de ...
Holl. ...

1714



tempore hoc unum non gubernavit occultè, sed formam Dei
secretò habuit usq[ue] ad temp[us] exaltat[i]o[n]is, in qua Christus homo
univ[er]sali et plenarie dominari cepit oib[us] creaturis sine ulla
intermissione.

Falsè er[ro]r hoc est quondam auctoritas:

17.

Operatioes carni communicat[i]o[n]e nunq[ua]m cessant.

Omnipresentiæ usus cessare nunq[ua]m potest.

Christus ut h[ab]et se opatur cum patre univ[er]saliter.

Humanitas Christi à primo Conceptionis momento sedet ad dextram dei.

His enim stantibus, Christus pati et mori non potuisset. Accense
o[mn]es antitheses in solidâ quatuor controuersor[um] capitulâ decisio
ne positas.

FINIS.

74 2.133 =



Sb.

LD 178





DISPUTATIO
De
SOMNO
Quam
Affulgente Supremo Lumine & Numine
In Celeberrima Leucorea
Præside
Dn. M. ABRAHAMO HEI-
NECCIO VVittebergensi, Facult:
Philosophicæ Adjuncto
Liberalis exercitii causâ
proponit
GODOFREDUS LEHNER VVel-
sensis Austrius.
Ad diem 30. Januarii.
WITTEBERGAE
Typis Hæredum Johan. Richter. Anno 1621.

24

27

